Cucurb. ana ℥ß.
Aqu. Chalybeat. ℔j.
Plantag. ℥vj.
Burſ. paſt. ℥iv.
F. l. a. Emulſio cui adde
Rot. man. chriſt. ſimpl. ℥j.
D. ad Vitr. Doſis ſingulis trihoriis ℥ij.

CAPUT VIII.

De Repellentibus.

§. 1.

R*Epellentia Remedia*, vel ſolâ vi vocis, ea dici poſſunt medicamenta, quæ humorem in aliquâ parte ſtagnare incipientem impediunt aut cohibent, ſicque tumorem fortè oriturum à parte affectâ arcent. Dicuntur etiam ab aliis *Repercutientia*, *Repercuſtica*, *Reprimentia*, aut *Defenſiva* magnamque affinitatem obtinent cum *Incraſſantibus* & *Adſtringentibus*. *Definitio.*

§. 2. Remedia hæcce, ſi uſum ſpectemus, externè tantùm uſurpari ſolent, neque adeo frequenter, quoniam non ubique repellere, ſanguinisque circulum cohibere licet, ſi verò ad modum agendi attendatur, protinus dicendum eſt, non humorem, qui influxit, juxta quorundam Veterum ſententiam, repercuti, ſed potiùs qui influere, & nimiâ copiâ in aliquam partem irruere, inibique ſtagnare tentat, atque ſanguinem nimis rarefactum nonnihil incraſſari, poros coarctari, glandulas ſubcutaneas conſtringi, fibrasque corrugari ac firmari, ſicque impediri, quò minus in parte humor qualiſcunque colligi queat. *Uſus.*

Principia repellentium.

§. 3. Principia materialia, è quibus *Repellentia* talia constant, partim sunt particulæ *terrestres, crassæ & austeræ*, irregulari sua figurâ constringendi & coagulandi vim habentes, quemadmodum in Tabulâ *Adstringentium* habentur pulveres absorbentes, exsiccantes & adstringentes, partim constant *particulis aqueis, mucilaginosis, & actu frigidis*, aut etiam *oleosis*, prout est *Aqua frigida*, aliive liquores gelidi, *Semina* item ac *Radices mucilaginosæ, Acetum*, nec non *Olea refrigerantia*, Sale alcali plantarum inprægnata, v. gr. *Oleum Rosarum, Liliorum alborum, Violarum.* Quibus etiam accedunt *acida, acerba*, prout sunt *Spiritus acidi, Succi* item *plantarum* & *fructuum austeri*, actuque frigidi.

Modus utendi.

§. 4. Si de utendi modo quæstio incidat, respondendum venit, non sine cautelâ magnâ ad hæc remedia esse deveniendum. Locum habent equidem in *Contusionibus recentibus*, ubi tumor adhuc nullus adest, quoniam frigidis his externè applicatis, affluxus humoris ac tumor, vel etiam suggillatio impeditur; Præterea conducunt in *Hæmorrhagiis* qualibuscunque, si absit inflammatio. Verùm damnamus prorsus hæc remedia in *Inflammationibus, Gangrænâ, Erysipelate, Tumoribus & Stagnationibus* jam factis, ubi beneficio horum Repellentium non nisi major stagnatio efficitur, humorque in partem affectam fortius & tenacius impingitur.

Formulæ Repellentium.

℞. *Album. Ovor. num.* j.

Teratur cum frusto Aluminis in vase stanneo, affundendo Aquam Rosarum, & addendo Croci pauxillum, ex massâ hinc albâ spumescente fiat epithema.

℞. *Herb. Burs. Past. M*j.

Contus. add. Albumen Ovi unius,

Aceti

Aceti rosac. ℥ß.
Misce pro frontali.
℞. *Nucl. Persicor.* ℥ß.
Sem. Pap. alb. ʒij.
Aqu. Sperm. Ran.
Plant. ana ℥iij.
F. Emulf. cui add.
Nitr. depur. ʒij.
M. detur ad Vitr. pro epithem.
℞. *Pulv. Styptici* ℥j.
Inspergatur stupæ cannabinæ, vel *Crepitui Lupi, Albumine Ovorum prius obducto, & applicetur Vulneribus nimium cruentantibus.*
℞. *Aceti comm. vel*
rosac. ℥iv.
F. exinde cum linteo & spongiâ epithemata.

CAPUT IX.

De Sinapismis & Vesicatoriis.

§. 1.

PLerique Authores *Sinapismis* & *Vesicantibus* præponunt Remedia dicta *Attrahentia*, quibus sibi imaginantur humores ad partem aliquam debitos & utiles attrahi, sicque *Atrophiæ*, *Aridurae*, & *Paralysi*, imò & incipienti *Sphacelo* medelam afferri posse. Quòd si autem rem accuratius perpendamus, & simul in animum revocemus, tractionem in Naturâ vix ullam dari, protinus & Attrahentium vocabulum exauctorandum censebimus, utpote cùm omnia Remedia hacce Tabulâ contenta potius sint summè Resolventia, Discutientia ac Volatilisantia, vel etiam Emollientia, strictosque aut aridos tubulos Laxantia. *An dentur attrahentia?*